



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 7. De revelatione privata, aliisque ad Fidei objectum
spectantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

Pariter prima veritas in actu primo, ut est virtus ad infallibilizandum verbum ejus, non constituitur per revelationem, bene verò ut est infallibile dicens, quale requiritur ad objectum formale adæquatum nostræ fidei, cum ipsa locutio sit forma hujus concreti infallibile dicens. Sic scientia, quæ habet pro objecto

formali motivo rationem adæquatam constitutam hominis, respicit in homine aliquid, quod se habet, ut materia, & aliquid, quod se habet ut forma: quandoquidem homo adæquatur sumptus ex materia, & forma constituitur.

DISPUTATIO VII. DE REVELATIONE PRIVATA, ALIISQUE AD FIDEM DEI OBJECTUM SPECTANTIBUS.

SECTIO I.

277. **N**on agimus in præsentibus de revelatione purè naturali, quæ nimirum procedat à DEO, ut Authore naturæ, quam quidem revelationem possibilem esse defendunt plures Theologi cum Cardinali de Lugo disp. 9. de fide sect. 1. num. 13. & Ripalda disp. ultima de Ente supernaturali sect. 27. & disp. 5. de fide sect. 5. num. 69. Ratio eorum est: quia si homo productus fuisset in statu puræ naturæ, non esset supra illius conditionem locutio divina, qua à DEO instrueretur de rebus naturalibus; quandoquidem homo non exigeret suum mutum, sed Authorem loquentem, unde ea locutio non esset superna, sed naturalis, cum non esset supra, sed juxta exigentiam humanæ naturæ; quamquam alij cum Esparza lib. 5. de virtutibus Theologicis quæst. 26. censeant, quamcumque locutionem, & revelationem divinam esse à DEO, ut Authore supremo, ac proinde intrinsecè supernaturalem. Ratio eorum est, quia homo in statu puræ naturæ consideratus non posset majorem illam à DEO instructionem exigere, quam cum natura inditam jam habet à DEO Authore naturæ juxta illud Psalmi 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: neque servus, ut servus majorem instructionem, aut communicationem exigeret cum supremo suo Domino DEO; unde quæcumque revelatio, aut locutio divina esset supra hominis exigentiam, ac proinde & intrinsecè supernaturalis. Quidquid tamem de hoc sit, certum est, quamcumque divinam revelationem in hac præsentibus providentia esse supernaturalem, vel intrinsecè, quales esse solent internæ locutiones divinæ, seu revelationes, utpote conducentes ex intrinsecis suis ad vitam æternam; vel saltem extrinsecè, quales sunt scripturæ, soni, & voces externæ, quas DEUS apponit ut Author Supremus ex intentione, & sine æternæ nostræ salutis. Unde actus fidei cum revelatione sub illo respectu connexi evadunt intrinsecè supernaturales; quare tota præsens difficultas est, an privata revelatio superna sufficiens sit ad constituendum cum prima veritate objectum formale fidei Theologicæ?



Exponitur, & statuitur nostra sententia.

Suppono 1. cum Exim. Doctore disp. 1. de fide sect. 10. num. 3. fidem Catholicam actualem, & fidem Theologicam, seu infusam distingui tanquam includens, & includum, eodem prorsus modo, quo distinguitur homo, & animal, siquidem ad eum modum, quo non potest dari homo, quin sit animal, bene vero animal, quod non sit homo; ita dati non potest fides Catholica actualis, quæ non sit Theologica, bene verò fides Theologica, quæ non sit Catholica; ratio est, quia fides Catholica actualis est actus, quo, sicut oportet ad salutem, & propter autoritatem primæ veritatis revelantis, credimus eam doctrinam, quam Ecclesia universaliter credendam proponit, idem quippe est doctrina Catholica, quod doctrina universalis; fides autem Theologica actualis est actus, quo, sicut oportet ad salutem, credimus propter autoritatem primæ veritatis revelantis rem à DEO dictam, seu ad communem Ecclesiæ autoritatem pertinere, five non, solumque sit directæ ad particularem illam personam, cui sit revelatio.

Quapropter revelatio universalis non distinguitur à privata in eo, quod revelatio privata facta sit alicui personæ particulari, cum etiam revelatio universalis particulari personæ lapsa facta sit; sed distinguitur ex eo, quod privata revelatio sit alicui, aut aliquibus absque ordine ad communitatem, cui per illam personam veluti per intermedium DEUS illam tractat; revelatio autem universalis ea est, quæ alicui, vel aliquibus personis sit ex intentione, ut communitati tradatur, eaque ratione dicitur publica, quo pacto revelatio facta Moyli, ut per eum ad Ecclesiam dimanaret, atque omnibus credenda proponeretur, erat revelatio publica, & universalis, quantumvis soli Moyli prius facta fuerit.

Suppono 2. fidem habituales, & objectum revelatum non habere ex intrinsecis suis, quod sint potius fides privata, quam universalis, vel econtra, sed habere ex intrinsecis suis capacitatem, ut à revelatione privata denominentur in modo ab actu fidei universalis denominentur.

des Catholica, & ab actu fidei privatæ denominetur fides non quidem Catholica, sed privata; ratio est, quia hoc est commune omnibus, & singulis virtutibus, posse nimirum elicere diversas denominationes secundum diversos actus ab eis elictos; sic iustitia, prout dat Petro, quod suum est, ne jus Petri violetur, dicitur præservativa, & prout restituit Petro, quod ab illo abstulit, ut jus Petri relarctatur, dicitur reparativa. Exinde

281. Suppono 3. habitui infuso per se fidei non esse essentialiter, sed accidentaliter, quod denominetur fides Catholica, & universalis, vel fides Theologica, & particularis: ratio enim est, quia fides Theologica solum potest differre à Catholica, vel ex parte materiæ, vel ex parte modi, vel ex parte medijs recipiendi revelationem à Deo, quæ quidem omnes accidentales differentie sunt, merèque materialiter se habent respectu habitus fidei per se infusi, proutque non possunt essentialiter distinguere fidem Catholicam à fide Theologica. Idem etenim habitus fidei per se infusus, dummodo ad sit objectum suum formale primæ veritatis dicentis, attingit objecta materialia specie diversa, v.g. prædicata creata, & divina, necessaria, & contingencia, universalis, & particularis. Sic credimus divina fide hoc universale esse verum, quod, quicumque perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; & hoc particulare, quod Tobias habuit canem; unde differentia inter materiam universalem, & particularem, non distinguit essentialiter fidem Theologicam à fide Catholica, sed est differentia merè accidentaliter.

282. Pariter differentia ex parte modi est merè accidentaliter, cum non pertineat ad objectum formale, sed ad applicationem illius objecti; quod enim intendat DEUS, ut illa revelatio diffundatur ad communitatem, vel non diffundatur, non tollit, quod res dicta sit omnino infallibilis ex testimonio primæ veritatis dicentis: etenim prima veritas dicens æquè infallibilis est in minimis, ac in maximis, ut ex terminis patet, & diximus etiam num. sup. per eandem rationem accidentaliter est differentia ex parte medijs recipiendi revelationem à DEO, cum maneat idem objectum formale divinæ fidei, sive revelatio fiat immediatè à DEO, ut supponimus fieri revelationem privatam, sive fiat mediatè per aliquem ministrum suum, uti facta est nobis revelatio per prædicationem Apostolorum, & Prophetarum. Quapropter ejusdem rationis fuit fides, quam Adam habuit, & quam ab illo didicit Abel; ejusdemque rationis est fides, quam nos habemus, & quam habuerunt Apostoli, à quibus illam didicimus; quod quidem tamquam omnino certum supponit Augustin. Tom. 6. lib. 19. contra Faustum, præsertim à c. 14. & sanè plura, quæ in Sacris Litteris revelata sunt publicè pro tota Ecclesia potuerunt antecedenter non revelari, nisi privatè pro uno, aut altero homine, ut e-

R. P. Gormaz Theolog. Tom.

contra plura, quæ Sanctis privatim revelata sunt, potuerunt publica revelatione tradi. His positis.

Duplex est sententia. Prima docet, revelationem privatam non sufficere ad objectum formale fidei. Ita Cajet. 2. 2. q. a. 1. & q. 5. 1. a. 3. Tanner. ibidem dub. 3. Sotus lib. 3. de natura, & gratia c. 11. Canus lib. 12. de loc. Theolog. c. 3. & 4. Canus. 1. part. quæst. 1. art. 3. in sua quæst. 3. ad 7. Ex Noltris Valent. dist. 3. quæst. 1. punct. 1. difficult. 3. eamque Thomistæ communiter sequuntur. Gonnet autem disp. 1. de objecto fidei art. 3. Thomistas suos intelligendos contendit, quod revelatio esset naturalis, & non pertineret ad Deum, ut Authorem supernum: at, cum quæstio præsens procedat de revelatione, quæ fit in hac providentia, non apparet, quomodo antiqui Thomistæ intelligi possint in eo sensu à Gonnetto excogitato; quidquid tamen de hoc sit, secunda sententia docet, privatam revelationem divinam, supernam, & sufficienter propositam sufficere ad constituendum cum prima veritate objectum formale fidei per se infusæ, & Theologica. Ita Eximius Doct. disp. 3. de fide sect. 10. Vega lib. 9. in Trident. c. ult. Corduba in quæstionario lib. 10. quæst. 17. Bellar. lib. 3. de justificar. c. 3. Salmeron lib. 1. in Epistol. Pauli part. 3. disp. 2. quin potius Catherinus hunc sensum defendens in Apologia contra Sotum c. ult. de certitudine gratiæ, ut testis oculatus ait, hanc sententiam, quam P. Lainez Generalis Societatis JESU contra Sotum acriter in Tridentino roboravit, & illustravit, communi Concilij approbatione fuisse susceptam.

284. Affero cum secunda sententia, revelatio supernaturalis privata sufficienter proposita factis est ad constituendum cum prima veritate objectum formale fidei; ita, ut ille, cui fiat, & sufficienter proponatur talis revelatio, possit, & teneatur propter eam credere ex eodem habitu, & actu in specie, quo credit alia mysteria, quantumvis actus ille dicendus non esset fides Catholica. Probatum est ex Tridentino sess. 6. cap. 12. ubi declarat, neminem scire posse absolutam, & infallibilem certitudinem, quæ sanè certitudo fidei est, se esse prædestinatum, nisi id per specialem revelationem agnoverit; ait quidem Concilium; *Nam nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit, quod etiam tradit Can. 16. Si quis magnum illud usque in finem perseverantia donum se certe habiturum absolutam, & infallibilem certitudinem dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, Anathema sit.* Quibus verbis Concilium satis significat revelationem privatam sufficientem esse ad eliciendum ex illa actu infallibilem divinæ fidei, cumque Concilium ad aliam fidem non recurrat, satis indicat, esse eandem, quæ cætera à DEO revelata creduntur, atque istam fuisse PP. mentem testatur Catherinus n. sup. cit. qui inter alios PP. Trident. interfuit.

§§§§ 2

Confir-

285. Confirmatur ex Innocentio 3. cap. 3. *cum ex iuncto de Heret.* ubi dicit revelationi speciali non esse adhibendam fidem, nisi miraculo confirmetur; loquitur autem respectu illorum, qui illam audiunt, non qui recipiunt, ut late exponit Abulensis in cap. 4. Marh. q. 120. & 121. in quo etiam supponitur sufficientia talis revelationis, quantum est ex parte objecti formalis fidei, ut si semel sit sufficienter approximata, possimus credere eadem fide, qua cetera a DEO revelata credimus. Pariter in Concilio Lateran. sub Leone X. prohibentur prædicari revelationes speciales de rebus futuris sine examine, & approbatione Ecclesiæ, ut constabit num. 290. per quod etiam supponit tales revelationes posse sufficere ad veram fidem, ut ex terminis constat; ergo &c.

286. Probatur 2. ratione Theologica. Illa revelatio sufficit ad eliciendum actum divinæ fidei ejusdem speciei cum aliis actibus, qui ab habitu supremo fidei per se infuso procedunt, quæ sufficiens est ad constituendum objectum formale fidei ejusdem speciei cum objectis formalibus, quæ ceteri actus fidei publici respiciunt; atqui hoc est in revelatione privata; ergo &c. maj. aurem est certa; atque admittitur ab Adversariis; quandoquidem actus divinæ fidei utpote connexi cum objecto, & principio supremo non distinguuntur specie, nisi quia respiciunt objectum formale speciei distinctum; min. verò probat. revelatio privata, qua Deus aliquid testificatur, non minus infallibilizatur à prima veritate infallibili in cognoscendo, & dicendo; quam infallibilizatur revelatio publica; etenim non minus repugnat, quòd Deus fallat, aut fallatur, quando uni homini loquitur pro eo tantum, quam dum loquitur universæ Ecclesiæ; unde non est minus infallibile divinum dicens illud, quod statuitur ex revelatione privata, quam illud, quod statuitur ex revelatione publica; sed in eo stat, quòd objectum formale fidei constitutum ex revelatione privata sit ejusdem speciei cum illo, quod statuitur ex revelatione publica.

287. Respondebis i. ex aliquibus Thomistis, revelationem privatam non esse sufficientem ad constituendum objectum formale fidei divinæ, cum non possit nobis sufficienter approximari ad credendum firmissime, qualiter requiritur ad actum divinæ fidei eliciendum, sufficiens quippe applicatio revelationis non datur absque propositione Ecclesiæ, quæ ex revelatione privata illam publicam redderet, omnesque illi credere tenerentur. Inde Augustin. Tom. 6. cap. 5. contra Epistolam fundamenti dixit; *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret Authoritas.* Quapropter id, quod proponitur per revelationem privatam, pertinet quidem ad lumen propheticum; at pertinere nequaquam potest ad habitum fidei divinæ.

288. Contra tamen 1. Licet illis, quibus revela-

tio privata facta non est, non adit ordinatus modus; quo infallibiliter ea revelatio applicetur ad credendum firmissime, nisi ex autoritate Ecclesiæ revelationem ad se applicans, de quo casu loquitur Augustin. at illi, cui revelatio privata facta est, sufficienter proponi potest, & regulariter forte ita proponitur, quin ab autoritate Ecclesiæ applicetur; potest enim quam optime manifestare per internum lumen, quo ipsi appareat, nec prudenter dubitari possit, revelationem illam esse à DEO. Sic enim crediderunt Apostoli, antequam revelationes illis factæ proponerentur ab Ecclesia. Sic credidit Deipara; sic etiam crediderunt plures Patriarchæ, & Prophetæ; ergo absque propositione facta per autoritatem Ecclesiæ potest illi, cui sit revelatio privata, sufficienter proponi, ut per fidem divinam credat.

Contra 2. Licet ordinatus modus, quo revelatio sufficienter proponitur ab aliis, ab eo, cui sit revelatio, habeatur ab Ecclesia proponente, haberi tamen potest modus extraordinarius, quo non solum illi, cui sit, sed etiam aliis sufficienter proponatur revelatio privata; ita tamen, ut plus requiratur ad hoc, ut sit sufficienter approximata aliis, quam ut sit sufficienter approximata illi, cui sit, ergo in hoc casu sufficiens est revelatio privata ad eliciendum actum fidei ejusdem speciei cum illius. Consequentia tenet; & ant. pater; quia tales privatae revelationes ita possunt approximari, ut teneatur homo ad præstandum fidei assensum; atque in hoc sensu intelligitur illud Pauli 1. ad Thesalon. 5. *Prophetias volite firmare, & illud Amos 3. Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum ad servos suos Prophetas;* quod maxime etiam roboratur ex Concilio Lateran. sub Leone X. in quo ejusmodi homines, quibus DEUS faciat privatas revelationes inter veros Prophetas, non quidem inter falsos, & mendaces annumerari decernitur. Sic enim habetur sess. 11. *Quædam in Dei Ecclesia inspiratione quadam revelaverit, ut per Amos Prophetam ipse promittit; & Paulus Apostolus inquit, Hæresibus aliorum & mendacium gregi connumerari, vel aliter impediri minime volumus;* ergo &c.

Contra 3. Licet tales revelationes de lege ordinaria publicari, aut prædicari populo non possint absque approbatione Apostolicæ Sedis, at in casu extraordinario, si urgens necessitas aliud postulet, sufficeret Ordinarij approbatio, ut publicari, & populo prædicari possit; ergo ille, qui de veritate talis revelationis dubitare nequaquam posset, vel quia miraculo comprobaretur, vel ex alia simili approbatione, posset ex illa verum actum fidei elicere. Consequentia tenet. ant. pater ex ipso Concilio Lateran. loc. cit. num. sup. ubi sic prosequitur; *Quoniam res magni momenti est, quòd non de facili credendum sit omni Spiritui* [sic]

sed sit probandum, spiritus an ex Deo proveniat, volumus, ut lege ordinaria tales assertiones inspirationes antequam publicentur, aut populo predicentur, ex nunc Apostolicae Sedis examini reservatae intelligantur, quod si sine mora periculo id fieri non valeret, aut urgens necessitas aliud suaderet, tunc eodem ordine servato Ordinario loci notificentur, ut ille adhibitis seculum tribus, aut quatuor doctis, atque gravibus Viris, & cum ijs huiusmodi negotio diligenter examinato, quando id expedire videbitur (super quo eorum conscientias oneramus) licentiam concedere possit; si qui autem contra praesens aliquid committere quidquam ausi fuerint, excommunicationis sententiam incurrant, a qua non nisi a Romano Pontifice absolvantur; & ut horum exemplo alij attentare similia minime audeant, eis praedicationis officium interdicens esse perpetuo decernimus, non obstantibus quibuscumque privilegijs. Exinde

291. Contra 4. Licet annunciare certo rem futuram pertineat ad lumen propheticum, & quamvis per lumen propheticum revelatio divina sufficienter approximetur Prophetæ: at assentiri rei revelatae non quia per lumen propheticum cognoscitur, & applicatur, sed unice, quia à DEO dicitur, non est actus Prophetiae, sed divinae fidei; sicut licet ad illustrationem supernaturalem, & ad discursum pertineat cognoscere per signa credibilitatis DEUM revelasse mysteria Catholicæ fidei, & sic approximetur nobis divina revelatio per discursum, & illustrationem supernam illis signis credibilitatis supervenientem, & assentiri illis mysterijs non quia per illa signa probantur, sed unice quia Deus dicit, non pertinet ad discursum, sed ad veram fidem, ut constat ex hucusque dictis, atque ex Innocentio III. adducto num. 287. & Later. citat. num. superiori; ergo actus ille innixus non quidem applicationi sufficienti revelationis; sive lumini prophético, sed innixus DEI revelationi privatae, non est actus prophetiae, sed divinae fidei. Videatur Exim. Doct. disp. 8. de fide sect. 7.

292. Respondebis 2. revelationem privatam de re aliqua temporali, & humana non pertinere ad fidem, sed vel ad lumen propheticum, ut ait Gonet. vel ad prudentiam infusam, aut donum consilij, ut censet Valent. Contra 1. quia licet donum consilij, prudentia infusa, aut quodcumque lumen propheticum deserviat, at ut revelatio privata sufficienter applicetur, at dum est sufficienter applicata, & unice assentimur, quia DEUS dicit, actus ille non est actus consilij, prudentiaeque, aut Prophetiae, sed fidei Theologicae, ut ex num. 288. ergo &c. Contra 2. revelatio, qua Deus dixit, Tobia habuisse canem, non minus est sufficiens, ut illi innitendo eliciamus actum fidei divinae, quam sufficiat revelatio de alijs rebus supernis. Etenim non minus esset Haereticus, qui unum, quam qui alterum tenaciter negaret; ergo non solum revelatio de rebus supernis, sed etiam de rebus

temporalibus sufficiens est ad eliciendum actum divinae fidei; ergo &c. Contra 3. Non minus repugnat DEO falli, & fallere in minimis, quam in maximis rebus, in temporalibus, quam in supernis; ergo non minus una, quam altera revelatio est sufficiens ad actum fidei divinae; ergo &c. Ex dictis

293. Fit 1. contra unum, vel alterum Recentiores, actum innitentem revelationi divinae privatae non solum esse actum divinae fidei, aequè certum, ac sit ille, qui innititur revelationi publicae; ut ipsi quoque fatentur, sed etiam quod sit actus fidei Theologicae. Ratio est, quia eatenus aliquis actus fidei divinae dicitur, quatenus respicit aliquid divinum, ut objectum formale quod, sed non dicitur Theologicus, nisi quia DEUM ita respicit; cum iste conceptus sit virtutis Theologicae constitutum, ut ex n. 55. ergo &c. Fit 2. actum illum innitentem revelationi privatae non esse fidem Catholicam; ratio est, quia actus fidei Catholicæ est ille, quo credimus doctrinam, quae in Ecclesia credenda proponitur, ut ex num. 278. sed actus nitens revelationi privatae non ita le habet, ut patet ex terminis; ergo &c.

294. Fit 3. habitum infusum fidei inter sua objecta materialia respicere unice Deum tanquam objectum magis praecipuum, ad cuius cognitionem ordinat alia. Unde Augustinus lib. 4. de Civitat. Dei cap. 20. ait: *Fidei unum ac primum, & officium maximum esse, ut in unum credatur Deum.* Ratio est, quia se habet ut supplementum luminis gloriae; sicuti 2. Pet. 1. *Habemus firmiorem prophetium sermonem, cui benefactis attendentes lucerna lucens in caliginoso loco, donec dies illucescat, ac lucifer oriatur in cordibus vestris;* quod etiam docet Paul. citat. num. 221. Quare, sicut lumen gloriae respicit DEUM ut objectum magis praecipuum, & attributionis; ita idem dicendum est de lumine fidei; objectum autem beatificum, seu beatitudo objectiva stat in sola Dei essentia, & decreto de perpetuitate visionis. Pariter essentia divina stat in aggregato omnium perfectionum absolutarum; quapropter aggregatum, seu plenitudo harum divinarum perfectionum erit objectum attributionis fidei, & unaquaeque ex his perfectionibus erit objectum attributionis essentialis; reliquae vero perfectiones divinae, sive relativae, sive contingentes erunt objectum attributum extra essentialia, & intrinsecum, sicut creaturae erunt extra essentialia extrinsecum.

295. Ratio ulterior est, quia illud est objectum attributionis cujuscunque facultatis, aut habitus, quod habitus ille ex natura sua respicit tanquam objectum materiale praecipuum, ad quod reducit omnia, quae attingit; sic habitus definitivus in Logica, cum ex natura sua respicit tanquam objectum materiale praecipuum, ad quod reducit omnia, quae attingit, sic habitus definitivus in Logica, cum ex natura respicit definitionem, ad quam reducit genus, & differentiam

am, habet pro objecto attributionis definitionem, genus, & differentiam pro intrinsicis attributis; cætera verò instrumenta, quibus utitur, ut sunt voces, & id genus alia, respicit tanquam attributa extrinseca. Pariter Logica syllogistica, quæ, ut suppono ex Logica, est habitus realiter distinctus à definitiva, respicit pro objecto intrinseco attributionis syllogisticum. Propositiones verò, ex quibus syllogismus componitur, respicit ut attributa intrinseca, idemque sub modò dicendum de aliis facultatibus, & habitibus. Objectum enim attributionis assignandum non est ex cujuscunque cerebro, sed ex intrinseca natura habitus, atque habitus fidei, cum non sit acquisitus, aut generatus ex replicatione actuum, sed per se infusus ad attingendum, quæcunque à Deo revelantur, non est unus ad credenda ista, & alter ad credenda alia, sed ille ipse, qui deservit ad credenda objecta divina, deservit ad credenda omnia tam divina, quam creata, cunctaque sive bona, sive mala ad DEUM refert; bona quidem, ut DEUS in eorum amplexione honoretur; mala verò, ut DEUS eorum aversione non offendatur, ut eo modo creaturas perducatur ad beatitudinem.

296. Quapropter quidquid attingit fides, respicit cum ordine ad DEUM, ad cujus possessionem ducit rationalem creaturam, ut supplementum luminis in via. Exinde Div. Thomas 2. 2. q. 1. art. 1. ad 1. dixit; *Ea, quæ pertinent ad humanitatem Christi, & ad Sacramenta Ecclesie, vel ad quascunque creaturas, cadunt sub fide, in quantum per hæc ordinamur ad Deum, & eis damus assensum propter divinam veritatem;* sed in hoc itat, quòd DEUS, prout dicit aggregatum omnium suarum divinarum perfectionum, quæ constituunt beatitudinem objectivam, sit objectum attributionis fidei divinæ, ut ex num. superiori; ergo &c. Quare, cum in DEO ultra prædicata essentialia constitutiva beatitudinis objectivæ sunt alia relativa, & alia contingentia; exinde dantur aliqua attributa intrinseca, & essentialia; aliqua relativa, & aliqua contingentia, ut ex num. 294. ad eum modum, quo, si mare consideretur constitutum ex fluvijis, dicitur objectum attributionis fluviorum, & unumquodque flumen sive salsum, sive dulce, sive clarum, sive obscurum, aut turbidum, dicitur attributum intrinsecum; inde

297. Fit 4. Perperam ab aliquibus confundi objectum attributionis fidei cum objecto formali quod; ratio est, quia apud Philosophos, & Theologos objectum attributionis est illud objectum materiale præcipuum habitus, in ordine ad quod respiciuntur, quæcunque attinguntur ab eo habitu; aliter, postquam egerunt de objecto formali habitus, frustra inquirerent, quodnam esset objectum attributionis illius habitus, neque minus ridiculè segererent, quam, si postquam assignarunt objectum formale, inquirerent, quodnam esset objectum formale. Unde objectum formale quod est id, quod at-

tingitur, & includit rationem formalem sub qua, ut ex num. 53. Objectum verò attributionis est objectum materiale præcipuum, quatenus includit rationem formalem qua, sive, quod idem est, rationem constitutivam beatitudinis objectivæ essentialis, ad quam fides dirigit, habitualis quidem ut supplementum luminis; actualis verò, ut supplementum visionis. Videatur Div. Thom. quæst. 1. c. 2. 1. in corp.

Fit 5. Christum Dominum secundum Divinitatem esse objectum magis præcipuum, & attributionis fidei; at secundum humanitatem non esse objectum fidei magis præcipuum, vel attributionis. Humanitas quidem utpote magis DEO conjuncta, quam quæcunque alia creatura, primum locum habet inter objecta fidei secundaria, cum inter omnia objecta secundaria sit illud, quod primò in DEUM ducit, quasi via primaria, per quem ad Deum itur. Sic Augustin. lib. 11. de Civit. Dei c. 2. de mente viatoris per fidem ambulante ait. *Fide primùm fuerit imbuenda, atque purganda, in qua, ut fidentis ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus, Dei Filius homine assumpto, non tamen Deo consumpto eandem constituit, atque fundavit fidem, ut ad Deum iter esset homini per Deum hominem: hic est enim mediator Dei, & hominum Christus; ESUS; Christus per id, quòd est mediator, & homo, & via perveniendi ad Deum; per hoc enim mediator per quod est homo, per hoc & via, quia si mediator, qui intendit, & illud, qui tendit, via media est, spes est perveniendi; si autem desit, aut ignoretur, qua eundum sit, quid præstet viam, quo eundum sit; sola autem est adversus errorem via munitissima, ut idem ipse sit Deus, & homo, quo itur, Deus, qua itur, homo.*

Certè Calvinus per hanc viam non incedebat, quando ausus est reprehendere DD. Catholicos, eò quòd DEUM, ut DEUM constituunt objectum primum fidei, & continent Christum, cujus fidem potissimum postulat Evangelium, cuique salus nostra tribuitur. At, ut ipsius hæretica insana mens clara appareat, quæro à Calvino, an credat, Christum Dominum esse DEUM, & hominem, atque adeò constitui ex Deitate, & humanitate, vel an hoc neger? si secundum, ex ore suo fateretur, se à Christo Domino segregatum, sicut palmes amputatus siccus, & aridus segregatus est à vite. Si primum, Doctores Catholici, cum DEUM constituunt primum fidei objectum, evidens est, Christum DEUM, quòd DEUM constitui quoque ab ijs primum objectum fidei; si autem Christus Dominus consideretur secundum humanitatem, sic nemo sanus dicere potest, quòd sit primum objectum fidei, cum humanitas sit distincta realiter à DEO, qui inter cætera omnia objecta primum est; quare in Symbolo fidei primò ponuntur, quæ attinent ad Divinitatem, & postea, quæ ad humanitatem; quo in sensu etiam

SECTION II.

Solvuntur objectiones.

tiam Christus loquitur Joannis 14. *Pater major me est*; unde, si Calvinus stultè reprehenderet Christum, etiam fateri cogitur, le in hoc puncto stultè reprehendere Doctores Catholicos.

300. Fit 6. cum Exim. Doct. disp. 2. sect. 3. n. 1. objectum fidei esse simplex, sive incomplexum, quatenus incomplexio opponitur non quidem compositioni reali, quæ per fidem creditur, v. g. quando credimus Christum constitui ex Divinitate, & humanitate unitis; sed prout opponitur compositioni mentis, quatenus nos per fidem non credimus, nisi componendò, & dividendò per actus complexos dependenter à phantasmatis, quæ compositio certè non datur ex parte rei creditæ, sed in nostris conceptibus formalibus, ex quibus præcipuè à vocibus, & Scripturis, quibus illi conceptus exprimuntur, tribuitur: rebus autem, seu subjectis tribuitur per denominationem extrinsecam à conceptibus mentis. Quare, cum DEUS non cognoscatur dependenter à phantasmatis, neque per actus complexos componendò, & dividendò, sed per simplicem actum, sicuti dici solet etiam de Angelis, & de Beatis, qui per simplicem intuitivam visionem cognoscunt in patria ea, quæ per actus complexos credebant in viâ; exinde non solum ex parte rei atactæ, verum neque ex parte mentis datur in DEO, Angelis, & Beatis ea complexio; bene verò in nobis viatoribus; quæ est ratio, propter quam Div. Thomas quæst. 1. a. 2. ad 3. dicit, quòd inter fidem, & visionem non est similis ratio, licèt similem admittat in ordine ad scientiam, & opinionem; unde, quando per fidem assentimur, datur complexio ex parte mentis, quæ non datur ex parte objecti crediti, ut docet Div. Thomas ibidem.

301. Hanc nostram explicationem dilucidè tradit Exim. Doctor loc. cit. num. superiori ubi sic habet: [Div. Thomas in dicto art. 2. dixit, res, seu veritates objectivæ prout in se sunt, simplices esse; prout autem sunt in nobis, per fidem esse complexas, utique per denominationem ab actibus nostris; quòd autem dicit, hujusmodi res in se simplices esse, non intelligendum universaliter de simplicitate, quæ excludit omnem compositionem. Hoc enim proprium est earum veritatum, quæ ad Divinitatem pertinent: nam huic complexioni, DEUS est trinus, & unus, res simplicissima secundum se, correspondet; at verò veritas fidei, quæ aliquid creatum continent, compositionem realem admittunt in ipso objecto, dicitur enim simplex oppositum compositioni mentis, unde etiam obiter notari potest, hanc complexionem accidere fidei, & objecto ejus, prout in nobis est: nam in Angelis sine illa inveniri potest.] Hucusque Exim. Doctor, qui ibidem etiam ait, Div. Thomas hic art. 2. & reliqui Scholastici variis distinctionibus utuntur ad rem hanc explicandam, sed non est necesse in re adeò clara immorari.

302. Objic. 1. Augustin. lib. 6. cap. 5. contra Epistolam Manichæorum, quam vocant fundamenti, ait, *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret autoritas*; ergo non sufficit ad fidem revelatio privata, sed requiritur, quòd per Ecclesiæ propositionem intimetur omnibus, & fiat publica. Confirmatur ex Div. Thom. 1. part. quæst. 1. art. 8. ad 2. ubi ait, *Innitiur autem fides nostra revelationi, Apostolis, & Prophetis facta, qui Canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit alijs Doctores facta*. Unde August. in Epist. ad Hieronymum: *Solis enim Scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum eorum Authorem in scribendò errasse aliquid firmissimè credam; alios autem ita lego, ut quantalibet sancti aie, doctrinaque præpollent, non ideo verum putè, quòd ita ipsi senserunt, vel scripserunt*; & D. Th. 2. 2. q. 5. art. 3. in corp. ait: *Formale autem objectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur in Scripturis Sacris, & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima*; sed exinde deducitur, revelationem privatam ex mente Sancti Thom. non sufficere ad eliciendum actum divinæ fidei; ergo &c.

303. Resp. conc. ant. neg. conseq. quia Augustinus Evangelio ideo non crederet, nisi proponeretur ab Ecclesia, quia ipse non habuit Evangelij revelationem privatam, neque debebat illam expectare; cum Ecclesia sit regula infallibilis, & ordinarium medium destinatum à DEO ad cognoscendum, quid sit pro Evangelio, & Scriptura Canonica recipiendum; unde absque Ecclesiæ propositione non habebat sufficientem applicationem, atque adeò ex eo non credebatur; si verò Augustinus revelationem privatam habuisset, crederet utique Evangelio per talem revelationem; cum verbum DEI scriptum jam tunc maneret ipsi sufficienter applicatum. Ad confirmat. conced. maj. & neg. min. quia S. Thomas non loquitur de fide privata, sed de fide Catholica, quam nos habemus, quibus ea revelatio facta non est; neque aliter sufficienter est applicata, nisi per propositionem Ecclesiæ, per quam & autoritas Scripturæ Canonice, & revelationes Apostolicæ, & Prophetis nobis factæ sufficienter applicantur; unde non dixit, innitur quæcumque fides divina, sed accuratè addidit, innitur fides nostra, idest, Catholica.

304. Quare Div. Thomas non exigit revelationem publicam ad quemlibet actum fidei Theologicæ, sed ad quemcumque actum fidei Catholicæ, ad quem exigit non solum primam veritatem, sed revelationem publicam, & externam, quæ est partiale motivum fidei Catholicæ, ut contra plures Thomistas diximus num. 249. &

& 263. quin potius ex doctrina Div. Thomæ facile inferitur, Ecclesiæ autoritatem esse infallibilem regulam proponentem nobis objecta fidei, ideoque negantem unum articulum ab Ecclesia propositum ut credendum, negare implicite autoritatem primæ veritatis, reque ipsa discedere ab objecto formali fidei: repugnat enim in hac providentia, quod aliquis eliciat actum fidei Catholicæ cum ignorantia invincibili, & absq; ullo ordine saltem virtuali ad infallibilem autoritatem Ecclesiæ, ut infra dicemus; repugnat enim, quod aliquis eliciat actum fidei Catholicæ, nisi revelatio universalis ei proponatur infallibiliter; hæc autem regulariter loquendò infallibiliter non proponitur, nisi ab Ecclesia per se, vel per ministrum ab ipsa missum secundum facultatem ab ipso participatam, atque aded cum aliquo respectu ad infallibilem Ecclesiæ autoritatem, juxta illud Pauli ad Roman. 10. *Quomodo credent ei, que non audierunt? quomodo autem audient sine predicante: quomodo vero predicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est, quam speciosi pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona.* Si autem aliquando irregulariter proponitur fides, v. g. per Angeli ministerium, per lectionem, aut quid simile, non minus instructio habetur, quam ab Ecclesiæ Ministro, semperque habet aliquem respectum ad Ecclesiam veram Christi, uti Paulo contigit, quando Actorum 9. dixit illi Christus, *Surge, & ingredere civitatē, & dicetur tibi, quid te oporteat facere;* atque aded nemo potest elicere actum fidei divinæ, negandò aliquid, quod scit esse ab Ecclesia propositum de fide credendum; cum non possit elicere actum divinæ fidei, dum peccat contra fidem. Unde August. cap. 5. contra epistol. fundamen. ait: *Ipsi Evangelio Catholicis predicantibus credidit, & lib. 12. Confess. cap. 25. Veritas tua Domine, nec mea est, nec illius, aut illius, sed omnium, quos ad ejus communionem publice vocas.*

305.

Objicies 2. Fides divina essentialiter est Catholica; sed fides Catholica eadem est, ac universalis, & publica, ac universali revelatione fundata; ergo fides divina est essentialiter fundata in revelatione publica, ac proinde revelatio privata sufficiens non est ad eliciendum actum divinæ fidei. Confirmatur. Ratione fidei divinæ, quam ab Apostolis, & Prophetis accipimus, dicimur superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum; atqui revelatio privata ad hoc non sufficit; ergo neque sufficit ad eliciendum actum divinæ fidei. Respondeo neg. maj. quia licet sit Catholica in actu primo, quatenus capax est, ut ab Ecclesia universali approbetur, atque omnibus credenda proponatur, vel per denominationem extrinsecæ similitudinis, quatenus nulli sit revelatio privata in hac providentia cum ignorantia invincibili fidei, vel absque ullo ordine ad fidem Catholicam; at revera fides Catholica in actu secundo, & fides Theologica distinguuntur

tanquam includens, & inclusum, ut ex num. 278. quatenus fides Catholica includit accidentalem differentiam contractivam fidei Theologicæ, quæ non includit fides particularis, sed eam contrahit per aliam accidentalem differentiam, ut num. 281. Ad confirmationem dist. maj. ratione divinæ fidei quæ Theologicæ præcisè, neg. quæ Catholicæ conc. maj. & distincta pariter min. neg. consequentiam, ut constat ex dictis.

Objicies 3. Si revelatio privata satis esset ad eliciendum actum divinæ fidei, ille, qui tali revelationi sufficienter applicatæ dissentiret, esset hæreticus; sicut esset hæreticus, qui revelationi publicæ ab Ecclesia propositæ tenaciter dissentiret; sed hæreticus non esset, qui tali revelationi privatae dissentiret, neque ab Ecclesia reputaretur hæreticus; ergo neque eliciendò actum fidei reputaretur fidelis; ac proinde talis revelatio privata non satis est ad actum divinæ fidei. Respondeo neg. maj. nam ille, qui tali privatae revelationi dissentiret, esset quidem infidelis, non verò hæreticus, quia solum ille infidelis appellatur hæreticus, qui pertinaciter negat, quæ proponit Ecclesia, sive ut explicat Sanch. & Vasq. & Laym. qui oppositum tenet, & quando scit aliquid à reliqua universali Christi in terris Ecclesia credi, & teneri, quod revera est tenaciter negare articulum fidei Catholicæ.

Qui autem dissentiret revelationi privatae, non negaret veritatem fidei Catholicæ, sed Theologicæ, ut ex num. 278. ac proinde non esset hæreticus, sed infidelis, nihilominus amitteret habitum fidei; nam, ut bene docet Cardinalis de Lugo, habitus fidei non solum amittitur per hæresin, sed etiam per quodvis peccatum mortale infidelitatis, quod satis aperte traditur à Tridentino sess. 6. cap. 15. *Novendo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur &c.* Alij verò cum Maldon. 2. 2. quest. 11. art. 3. memb. 4. censent, non solum esse infidelis, sed etiam hæreticum, qui dissentit revelationi privatae sufficienter propositæ; nam infidelitas adæquatè dividitur in tres species, scilicet in paganisimam, hæbraisimam, & hæresin; at probabiliorem judico doctrinam nostram, quæ quartam agnoscit infidelitatis speciem ratione dissensus circa privatam revelationem sufficienter propositam.

Objicies 4. Repugnat actus fidei, qui non respiciat DEUM ut objectum formale *quod*, ac proinde, quin respiciat objecta creata in ordine ad DEUM; atqui possunt aliqua per revelationem privatam à DEO revelari sub ratione temporali, quæ neque ad religionem pertinent, neque originem habent ad DEUM; ergo talis revelatio privata sufficiens non esset ad actum divinæ fidei. Respondeo neg. min. quia nullo modo potest intellectus assentiri alicui veritati, sive temporali, sive æternæ, quia à DEO dictæ, quin autoritatem DEI respiciat per convenientiam, eique assentiat, ut

ut num. 55. Unde omnino repugnat, quòd sit aliquid à DEO revelatum, sive æternum, sive temporale, & nullum habeat respectum ad DEUM, quin potius in hac providentia, & statu elevationis; cùm DEUS nihil revelaverit, nisi ex desiderio ducendi nos ad æternam salutem, nulla est facta revelatio, quæ extrinsecè supernaturalis non sit, ut præmissum. 277.

309. Unde tenemur assentiri illi per fidem divinam, & ita captivandò intellectum in obsequium fidei elicimus meritum Theologicum dignum remuneratione supernâ, ubi, qui discredere, eliceret actum infidelitatis dignum æternò supplicio. Quare non minùs est fidelis, qui credit, Tobiam habuisse canem, quia DEUS dicit, sive in Scripturis revelat, quàm qui credit, hominem in lethali peccato descendente, penâ æternâ puniendum, quia DEUS dicit; nec minùs esset infidelis, qui negaret primum, quàm qui ultimum; ex quo apparet, hoc argumentum non minùs tendere contra revelationem publicam, quàm sufficientem esse, Adversarij fatentur, quàm contra revelationem privatam, atque exinde constat, quàm irrectè aliqui dixerint, Saram Genes. 18. & Zachariam Lucæ 1. reprehendi tantùm propter imprudentiam, & duritiam cordis, non verò propter infidelitatem propriè, ut est vitium contra fidem Theologicam, quando revelationibus sufficienter approximatis non crediderunt. Ex dictis

310. Fit 1. cum Exim. Doct. disp. 3. de fide sect. 10. num. 7. revelationes privatas directè, & extraordinaria intentione tantùm ad directionem, & instructionem ipsius recipientis dari. Unde ille solùm obligatur ad adhibendam fidem, quàm adhibere ordinariè non tenentur alij fideles, eò quòd illis sufficienter non proponatur; opus autem esset, ut uterque probet Spiritus, an ex DEO sint, sicut monuit S. Paul. 1. Epist. ad Thessal. c. 5. nam, postquam dixit, *Prophetias nolite spernere*, statim adjunxit, *Omnia autem probate*. Prima verò omnium probatio esse debet, ut talis revelatio non sit contraria Catholicæ doctrinæ, neque à regula Ecclesiæ discedat: hoc enim sensu dixit Paulus ad Hæbræos cap. 13. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci*, & in Epist. ad Gal. cap. 1. *Sed licet nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, Anathema sit*, & in eodem sensu dixit Joa-

nes Epist. 1. cap. 2. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos*, scilicet aliquid repugnans his, quæ accepistis, ut latè exponit Anacletus Papa Epist. 1. sic etiam Augustin. de Genes. ad litter. lib. 12. cap. 14. *Non enim inquit, magnum est tunc eum discernere, cum ad aliqua pervenerit, vel prodverit, quæ sint contra bonos mores, vel regulam fidei*. Unde hæc debet esse prima omnium probatio.

Fit 2. Non sufficere ad sufficientem privatæ revelationis applicationem, quòd talis revelatio non appareat contraria fidei, & moribus. Ratio est, quia plura fidei, & moribus consentanea sunt, quæ à Deo non sunt tradita per revelationem privatam, v. g. quòd Petrus faciat eleemosynam, oret DEUM, & sic de aliis &c. Quare ad sufficientem applicationem aliæ conjecturæ, & signa adhibenda sunt, de quibus videri potest Div. Thom. supra illud 2. Corinth. 11. *Ipsè enim Satanás transfiguratur se in Angelum lucis*; & Gerson 1. part. alfabeto 14. lit. E. ubi ad tertiam credibilium ordinem reducit ea, quæ privatim revelantur, & in Alfabeto 19. littera U. ponit signa, de quibus agit etiam Media n. 1. 2. quæst. 22. ea enim signa necessaria sunt ut privata revelatio maneat sufficienter applicata. Demum

Fit 3. Præsupposita sufficiente privatæ revelationis approximatione obligari aliquem ad actum fidei elicendû, & ideo tantùm in Scriptura Sacra, Zacharias reprehenditur propter tarditatem in credendo, ut num. 300. respectu verò aliorum, quibus illa revelatio facta non est, rarè adest hæc obligatio, at non est impossibilis, ut colligitur ex 3. Reg. cap. 20. ubi quidam punitus, quia particulari cujusdam Prophetæ revelationi non credidit: ait enim textus, *Tunc vir quidam de filiis Prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini: percutite me, at ille noluit percutere, cui ait, quia noluisse audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo, cùmque paulum recessisset ab eo, invenit eum leo, atque percussit*; idemque supponitur cap. cùm ex *injuncto* citat. num. 285. ut latè declarat Abulensis, isti enim, similesque casus sunt excepti à regula generali: regula namque generalis est requiri approbationem Ecclesiæ, ut alij credere teneantur, quod desumitur ex Concilio Lateranensi adducto n. 285. & tunc jam fides illa incipit esse Catholica.

